APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,
Phil. et Theol. D:r,
Præfectus Bibliothecæ Lund., Ordini Theologorum Adj.,
ET
CAROLUS A. HALLBECK,
Scan.

Die 27 Aprilis 1842.

P. LIV.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXLII.

Aphorismi Respondentis.

I.

Experientia docet, virtutem et felicitatem non semper esse conjunctas, id quod rationi humanæ et justitiæ divinæ repugnare videtur. Hæc autem ipsa ratio non solum animos piorum non deprimere, sed ad futuræ vitæ exspectationem et certam spem excitare debet.

II.

Civitatem, in qua omnibus civibus æqua sint jura et onera, et in qua virtutes et merita propria solum æstimentur, felicissimam puto.

III.

Historiam legentes invenimus fere omnia scelera, quamvis callide excogitata et astute confecta, denique tamen esse detecta.

Si cuiquam capitularium injuriatum aut conviciatum a quocunque in facie capituli extiterit, omnes sibi deputent quod eorum eciam numero fuerat irrogatum. Si vero extra presenciam capitularem quis convicium vel criminacionem sit passus, et super hoc querelam coram capitulo fuerit prosequutus, tunc non poterit is suo criminatori remittere, aliis fratribus inconsultis.

Nullus residencium aut in Reso vel equali distancia et citra vicinus existens ecclesie cathedrali a die capitulari, que semper deinceps die mercurii, nisi festi sublimioris in eadem celebranda impediat, habeatur, se absentare presumat, sub pena unius ore, ante diem capitularem proxime sequentem presidi persolvendo capitulari, nisi illum corporalis infirmitas domini episcopi vel capitularium specialis commissio vel auctoritas faciat excusatum de aliis diebus forte capitularibus in futurum ordinandis simile sit judicium. Predicta vero emenda pro capitularium jocunda recreacione reservetur. Qui vero penam dictam pertinaciter distulerit exhibere, tantum de suis redditibus pro residentibus minuatur.

Nullus horisteram aut sermonem ad populum vel ad clerum se ex ordine superiorum assignacione contingentem, sub pena unius floréni renensis infra mensem persolvendi, nisi alium canonicum vice sui habeat surrogatum, omittat.

Si quis capitularium in festis totis duplicibus quibus aliquis canonicorum est horista, sine almucio et superpellicio se summo choro ingerat dum aguntur hore divine, solvat unam oram infra quindenam proxime sequentem, et hac emenda cum immediate premissa cadat tam ecclesie quam capitulo cum utraque passa injuriam videatur.

Insuper concorditer et capitulariter statuimus, quatenus ceteris festis principalibus non omissis in hiis presertim sex solemnitatibus, videlicet utriusque festi beati Henrici, dedicacionis ecclesiæ, Pasche, corporis christi, et nativitatis Marie, prelati et ceteri canonici capati in processione incedant. Quibus sic ut premittitur, in predictis sex festivitatibus capatis incedentibus debebitur una stopa vini, ex cellario Sancti Henrici tociens quociens unicuique singillatim.

Item statuimus, quatenus prelati et canonici inferiores, quibus opus est vino, tociens quociens voluerint ex cellario beati Henrici, pro quatuor ortonibus in promptum numeratis stopam obtinere, ceteris hiis privilegio et gracia privatis.

Item, quicunque capitularium in fundis ecclesiarum aut altarium velit domos vel novas instaurare vel antiquas restaurare, quatenus ex latomia ecclesie cathedralis millenarium laterum habere poterit pro viginti oris in promptum numeratis, vel pro duobus pundis siliginis super plene mensuratis, et ante recepcionem laterum cum effectu solutis.

Statutum est solenniter, quod nemo in ecclesia Aboënsi in canonicum recipiatur, nisi de legittimö matrimonio sit procreatus, et cujus parentes sui conceptus tempore matrimonialiter copulati extiterint, alias cujuscunque status, gradus vel ordinis seu condicionis existat, ad canonicatus et prebendas qualescunque assequendas inabilis sit, et per presens statutum inabilitatus.

Anno Domini MCDXC (?) incoate fuerunt distribuciones communes gracia visitandi chorum et capitulum de porcione canonica inter prelatos et canonicos residentes, horas divinas in summo choro ecclesie cathedralis freqventantes in perpetuum dividende, juxta canonem unicum de clericis non residentibus libro vi. Et alia jura ad hoc concurrencia.

Preterea statutum est solenniter, quod quicunque ex residentibus prelatis seu canonicis socius fuerit visitacionis, quam diu in visitacione fuerit integra presencialitate, ac si continue choro cum aliis interesset, gaudere debebit, qui eciam totam porcionem canonicalem a sua propria incorporata ecclesia habebit anno illo; proviso tamen, quod quociens vel ubicunque episcopum visitare oportuerit hoc anno, idem comitetur pro socio, vel alium canonicum habeat surrogatum.

Ceterum vero, si socius visitacionis a capitulo deputatus quodcunque notabile dampnum in visitacione incurrerit et inlata negligencia non fuerit ad hujusmodi dampnum, pro una medietate episcopus, et pro altera capitulum integraliter et benivole respondebunt.

Insuper statutum contra quoscunque prelatos, canonicos, et simplices prebendatos ecclesie Aboensis, qui negligentes fuerint ergo colonias suas in cultura agrorum et pratorum, in domibus ruinosis restaurandum aut tegendum, nec non inventariis semper salvis custodiendis. Tales enim desolatores postquam eorum negligencia fuerit detecta, per episcopum et capitulum seriose moneantur. Qui, si noluerint emendam apponere, fructus illarum coloniarum, circa quas facta est negligencia in earum reparacionem per eosdem convertantur; acrius eciam si necesse fuerit, puniantur.

Et si quis recenter adeptus prebendam a suo predecessore non levaverit integrum inventarium, talis nichilominus ad relinquendum integrum teneatur.

Item, quicunque residencium negligentes fuerint in reparandis domibus antiquis suarum residenciarum aut novis instaurandis, ubi quondam domus fuerant, dummodo utilitas exposcat prebende, et post monicionem emendare neglexerint, tales liberam non habeant potestatem in extremis testamentum faciendi, quin prius et ex indiviso tantum de bonis eorum deducatur, et in restauracionem neglectorum locorum convertatur, quantum juxta estimacionem capituli visus fuerit negligenciam admisisse, etiamsi casus inopinati incendii poterit evenire. Et si quis talium ab intestato decesserit, estimata negligencia similiter ante omnia deducatur. Et hoc idem circa negligencias coloniarum et inventariorum ex bonis decedencium observetur.

Circa curatos et vicarios perpetuos ecclesiarum parochialium statuitur, quod si contigerit eos ab illis ecclesiis quacunque ex causa semoveri, ante omnia negligencie estimentur admisse in manso et juxta estimacionem successori relinquat. Si autem durante hujusmodi negligencia ab hac luce transiverint testati vel intestati, eorum bona nullo modo dispergantur, nisi regligencia juxta bonorum hominum estimacionem reparata.

Preterea statuitur, quod in antea nullus intromittat se de censibus ecclesiarum levandis, nisi prepositus et archipresbyter neque de censu studencium, nisi duntaxat archidiaconus et decanus, qui levabunt a loija unam lestam butiri et xvi pund bladi pro studentibus, xxx marcas renales pro rectore scolarium, levabunt eciam a kirkeslet et espaa i lestam butiri pro studentibus.

Item statutum est et perpetuo decretum, quod noviter receptus in canonicum, nullo modo admittatur ad secreta capitularia nec ad distribuciones communes, priusquam realiter et cum effectu solverit ad peculium capituli quinque marcas svecicas absque omni remissione.

Item quicunque canonicorum residencium noviter receptorum infra annúm a die vocacionis proprium non habuerit almucium, dimidia presencialitate extunc frustretur quousque almucium habuerit.

Insuper statutum est, quatenus scriba capituli ingrossare debeat omnia statuta de novo edenda et similiter causas occurrentes et quod debeat

habere unum speciale volumen ingrossandorum statutorum et causarum, ex quo elici debent puncta memoria digna, et in libris capituli registrari.

Stipendium scribe erunt due tunne butiri ex sastamala annuatim.

Item statutum est, quatenus quilibet residencium contribuat annuatim pro cereis ad memoriam Corporis Christi unam marcam cere ad minus, et dominus episcopus annuatim contribuat tres marcas.

(Ex codice Cederhjelmiano).

In nomine Domini Amen. Quisquis principem hujus seculi rogaturus adierit, habitu honesto, gestu decenti, prolacione non precipiti sed distincta, attenta quoque mente se ipsum ac verba sua studet componere; quanto deligencius in sacro loco omnipotentem oraturus deum, hec omnia facere curabit. Idcirco nos Conradus dei providencia episcopus Aboensis, cum consilio et consensu dilecti capituli nostri volentes divini nominis cultum non minui sed augeri, pro vicariorum seu prebendatorum et choralium ecclesiæ nostre predicte reformacione, primo duximus statuendum, quod de cetero hore canonice in choro non cursim seu festinanter, sed paulatim et tractim et cum pausa decenti, presertim in medio cujuslibet versiculi, psalmorum debitam faciendo inter solenne et feriale officium differenciam, reverenter, scilicet horis statutis. Integraliter, scilicet plena expressione oris affectuliter, scilicet affectione cordis, intellectualiter, scilicet intentione et attencione mentis decantetur teste siquidem beato Bernardo: Multi subveniunt illi fructus, qui horas canonicas devote dixerit. Videlicet quod dominus illas oraciones libenter exaudit quod in cunctis rebus exterioribus melius illi succedit quod omni hora deus illum ab omni peccato mortali et mundana confessione custodit. quod in fine suo tribuns ei deus specialem graciam quod ei deus graciam donabit talem et tantam, quod forte seraphicum ordinem mereatur. Ideo hore canonice cum omni reverencia sunt cantande. Preterea animadvertent chorales cum ceteris sacerdotibus; quam terribilis est valde sentencia quam deus contra tepidos et negligentes comminatur ore prophetico, dicens: Maledictus qui facit opus domini fraudulenter, quod dictum beatus bernardus exponens, dicit: Fraudulenter opus domini facit, nimis festinans, nimis intente verba proferens, sillabas et dictiones subtrahens, ideo dei malediccionem incurrit, et benediccionem eternam perdit. Qui enim male legit horas suas, fraudat deum honore, seipsum merito, animas in purgatorio suffragio, et proximum beneficio, Tales heu dolor! qui timore non amore chorum frequentant, nimis legunt illud psalmiste: lauda anima mea dominum, quod tam creberrime in choro pertonant. In quibus ver-